

Joannis Michaelis Gall ... Dissertatio inauguralis medica sistens critici prophylaxeos siphylidis.

Contributors

Gall, Joannes Michael.
Universität Freiburg im Breisgau.

Publication/Creation

Friburgi Brisgoviae : Typis Joannis Andreeae Satron ..., [1777]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ckbqr8w7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



61491/P .1P/GAL



IOANNIS MICHAELIS GALL,
WYLANI WÜRTEMBERGENSIS
DISSERTATIO
IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS
CRITICEN
PROPHYLAXEOS
SXPHTYLLIXS,
QVAM
SVB REGIMINE ACADEMICO
Plurimum Reuerendi, Illustris ac Magnifici Viri
D. MATHIAE DANNENMAYER,
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS, AC HISTORIAE
ECCLESIASTICAE PROFESSORIS PVBLICI,
ORDINARII,
AVCTORITATE ET CONSENSV
INCLVTAE FACVLTATIS MEDICAE
pro summis in medicina honoribus
legitime obtinendis
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT
IN AVLA ACADEMICA MAIORI
MENSE MARTIO ANNO M. DCC. LXXVII.

FRIBVRGI BRISGOVIAE,
Typis IOANNIS ANDREAE SATRON, Almae
Vniuersitatis Typographi.

— tacitus pasci si posset coruus , haberet
Plus dapis , & rixae multo minus , inuidiaeque.

HORAT. Epist. lib. 1.
ad Scaeuam.



347761

ILLVSTRI VIRO
FRANCISCO
CAR. BORROMAEO
HAEGELIN

Sacr. Caesar. Reg. Apost. Maiest.
in Excelſ. Regimine inferioris
Austriae

CONSLIARJO ACTUALI
Leviro ſuo
aeternum Venerando

*Specimen hocce inaugurale
qualecunque*

D. D. D.

AVCTOR.



PRO O E M I V M.

LECTOR BENEVOLE!

Ex tanto rerum medicarum oceano , quid pro dissertatione inaugurali hauriam , diu haesitanti consilium suggessit Celeb. Medicinae Chyrurgicae Professor noster Doctor MEDERER , vt de prophylaxi luis venereae differendum suscipiam . Placuit mihi hoc consilium eo magis , quo huiusce materiei pertractatio in academiis minus trita hucusque fuit , atque repetita .

Quum vero contractiora forent temporis praefixi spatia , quam , vt , quaecunque hac super re dicenda essent , exhausti riri

riri a memet potuissent; de remediis prophylacticis luis venereae maxime cognitis, criticam solummodo in me suscepi; Prophylaxin ipsam, si qua possibilis, doctissimo D. KERN, cui partiri mecum laboris spartam libuit, statuendam relinquens.

Cetera, si quid, pro rei dignitate non elaboratum satis dissertationi huic insit meae, tenuitati virium mearum id adscribatur, rogo: sin autem boni quid in medium inde prolatum fuerit, id totum ad **Celeberrimum MEDERER** tanquam ducem laboris mei referendum esse,
volo. Faue, & vale.



ASTRV-




ASTRVCIVS, amplissimae doctrinae
vir, & laude mea quantacun-
que longe superior, in fuso &
egregio, quod de lue venerea
concinnauit, opere inquit: a)
“ Constat antiquiores medicos, ubi primum ex-
,, ploratum habuere, adfectiones omnes istius-
,, modi solo veneris usu contrahi, in id omni
,, ope, atque opera olim incubuisse, vt ingref-
,, furo contagio vias arte paecluderent, atque,
,, ea ratione orituros inde morbos auerrunca-
,, rent. ”

In exemplum adducit vnum instar omnium
GABRIELEM FALLOPIVM, qui operis sui de
morbo Gallico Cap. 89. sic. praefatur: “ Ego,
,, inquit, nihil fecisse videor, nisi doceo vos,
,, quomodo quis videns pulcerimam sirenam,
,, & coiens cum ea, etiam infecta, a Carie,

A 4 „ &

a) Vid. ASTRVC. Lib. III. Cap. II. §. II.



„ & lue Gallica praeseruetur. Ego enim sem-
„ per fui huius sententiae, quod adsit ratio
„ praecauendi, ne per contagium vlcuscula
„ (venerea) oriantur. „ Ait porro, se fecis-
se experimentum in centum, & mille homini-
bus, & Deum testatur immortalem, nullum eo-
rum infectum fuisse.

Quod ad prophylaxin luis venereae is dilau-
davit remedium, positum erat in decocto her-
barum plus minus adstringentium, ligni guaia-
cini, & mercurialium; quo imbuta lintea bala-
no adponi, vel orificio vrethrae intrudi iubebat.

PETRVS ANGELVS AGATHVS, qui FAL-
LOPII opus scholiis, & adnotationibus auxerat,
non in eandem solum cum FALLOPIO abiit sen-
tentiam; sed in mulieribus quoque id remedii
genus haud dissimilis usus fuisse addidit. Com-
mendat hisce suffimigii mercurialis usum, quo
suffiantur loci venerei, decocto FALLOPIANO
post opus statim eloti.

Sufficit mihi cum Celeberrimo ASTRVC e
vetustioribus vnicum duntaxat FALLOPIVM, &
Commentatorem eius adlegasse; eos enim, qui
hac de re mentionem quamdam fecerant, vel
non fecerant, commemorare, & laboris, &
temporis, & opportunitatis tantum exigeret,
quantum a Clar. BOEHMIO b) in praeclara sua
de

b) Vid. dissert. varias siphylidis therapias fistens
Argentorati 1771.

de variis luis venereae therapiis dissertatione, collocatum esse nouimus. Id solummodo miror, nec verbum hac super re excidisse Clarissimo BOEHMIO; licet facili inde negotio differere sub idem tempus potuisset. An studio filuit?

E recentioribus noui cum Illustr. DE HORN,
Dr. medic. Parisiens. c).

- I. Certum luis venereae præseruatium D.
MALON; d).
- II. Resoluentem aquam prophylacticam GIL-
BERTI PREVAL, Dr. medic. Paris. e).
- III. Resoluentem aquam prophylacticam DE
CEZAN, Dr. medicin. Parisiens. f).

A 5

IV.

- c) Exposition raisonnée des différentes méthodes d'administrer le mercure, dans les maladies vénériennes précédée de l'examen des préservatifs. Imprimé à Paris 1775. chez Monory.
- d) Essai sur neuf maladies également dangereuses &c. Avec un préservatif assuré des maladies vénériennes. Imprimé à Paris 1770. chez Boudet & Associés.
- e) D. PREVAL remedium suum prophylacticum nullo libro, sed schedis solummodo promulgavit, teste Illustr. DE HORN.
- f) Manuel antisiphylitique, ou essai sur les maladies vénériennes, avec un préservatif des ces maladies. Imprimé à Paris 1774. chez Desvantes de la Doué.



- IV. Mercurium dulcificatum I. I. GARDANE ,
Dr. medicin. Parisiens. g).
- V. Aquam vegeto mercurialem D. PRESSA-
VIN , membra Colleg. Reg. Chyrurg. Lug-
duni Gallorum. h).
- VI. Lixiuum Celebr. WAREN , Dr. medicin.
Edimburg. i).

Remedia a singulis hisce viris in prophyla-
xin luis proposita recensuit quidem Ill. HOR-
NIVS, eaque fuse satis diiudicauit; at partium
studio , & praecognitis hinc inde opinionibus
quum mihi fascinatus videtur, censuris ipsius in
compendium a memet redactis, sensa propria,
sed neutra, sed minime praeiudicata interseram.

Prius vero, quam haecce disquiram, de
prophylaxi FALLOPIANA pauca quaedam recen-
fenda habeo.

Quidquid magnus iste intenderit medicus,
id certe remedio suo non fuit adsecutus. Nam
siue decocto suo adstringente resorptionem virus
impeditum, seu illud singulari & ligni guaiaci-
ni ,

g) Maniere sûre & facile de traiter les maladies vénériennes. Imprimé a Paris 1773.

h) Traité des maladies vénériennes dans le quel on indique un nouveau remede pour les Gué-
rir. Imprimé a Paris 1773. chez Didot.

i) Nouvelle methode pour Guérir & se Garan-
tier de la Gonorrhé virulente. Imprime a Paris
1771, chez Quillau, Prault, & Roset.



,

ni, & mercurii virtute in nihilum plane redactum iri confisus sit; (quosnam enim praeter hosce duo ferire scopos in animo habere poterat?) eius profecto confidentiam hanc vtramque frustratam esse adfirmo, propterea quod venereum virus, quod per se non obvolutum, dilutumque est; neque tam facile alias a poris organicis imbibi, neque imbibitum etiam per remedii peculiariter destruentis vim, cuius agendi modus minime perspiciendus, semper nos latet, aeternumque latebit, mox pediculorum instar ad internectionem deleri posse, obseruatis & experimentis comperimus.

Tractatus a D. MALON in lucem editi pag. 112. reperire est formulas duas in prophylaxin a contagio luis venereae depraedicas. Altera ex pinta aquae communis, & cochlearibus IV. aceti vini communis oxycratum est; solutio unciae semissis aluminis vsti in pinta aquae bullientis facta altera. Elutiones ex alterutra, iniectionesue genitalium mane & vesperi, nec non oris gargarizatus suadet auctor, monendo simul, quod ardoris, pruriginisue in parte quadam iniecta, siue vrethra virili, seu vagina feminea ullibi subortae sensatio signum incipientis exulcerationis esset, quae a non nullis puris, ibidem collecti, guttis excitantur. Quo etiam in casu, modo malum ultra viginti quatuor horas necdum durauerit, inie-

ctio-



ctiones omni trihorio repetendas commendat, sanationem perfectam eiusmodi opera futuram adfirmans.

Illustr. DE HORN oxycratum Malonianum tanquam refrigerans, ac liquorem aluminosum tanquam adstringens considerat remedium; iusta adnotatione subiuncta, praerogatiuam alumi ni usq; hac in re p[ro]ae aliis haud deberi, eo quod ab aqua, qua soluebatur alum[um], particulas constitutiuas, super ignem nuper deperditas, eidem nunc rursus accedere manifestum fit.

Tum rationem, qua agere vtrumque valeat, perscrutatus, prius viribus haud ullis gaudere; posterius vero more ceterorum adstringentium quorumcunque damni plurimum adferre eruit; quum iteratus horumce usus eas, quas flexiles continuo, ac lubricas conseruari oporteret, partes exasperando sensim rigidas faciat, atque ideo mala longe deteriora, quam virus ipsum inducat.

Refrigerante[m] oxycrati vim e virtutibus in illo contentis, tanquam effectum oriri clarum est. Illas itaque, non hunc, ne obscuris verbis sententiam suam efferret, nominare debuisse set Illustr. HORNIUS. Quum autem ab oxycrato vires abiudicaret, ac aequo penitus animo inualidum enuntiaret, has minus perspectas habuisse videtur,

Nam

Nam profecto vires exerit validas, vtinam perinde innoxias ! etenim ab acidis & mucum omnem, & vnguen incrassari ; neutiquam vero resolui ; nec etiam (vt vulgo creditum hucusque fuit) adtenuari , per experimenta in Gallicis aequae ac Latinis culinis , officinisque instituta comprobatum accepimus.

Quum ergo vrethram obducens vnguen , quocum mixtum virus venereum fermentationem subit, ab oxycrato inspissetur, atque ideo hospitis virulenti mora non minus , quam se- cuturi inde effectus adiuuentur , quis est, qui ab illius administratione noxam insignem contrahi non arbitretur ?

Eadem quoque ratio est, quare aluminosus liquor binis modis noxius proclamari possit. Subacidus enim aequa cum sit , atque austerus, primum est concludere , fore vt frequenteri huius vsu cum vnguini inspissatio , tum maxime partibus solidis comparetur rigiditas.

Quamobrem , quum vtraque haec solutionis aluminosae vis immutando virus venereo nec tantillum par sit , prophylacticae medelae nomine indigna prorsus censenda est.

Quae a D. PREVAL iactatur aqua resoluens, illimis est, & pellucida; nec peculiaris odoris: saporis autem primo terrei tantum ; subausteri dein ; linguam leniter crispantis denique ; nec sedimentum in fundo vasis deponens.

Per



Per analysin , synthesesinque aquam Prevalianam examinans Illustr. HORNIUS , hanc depurgatam a sedimento , & decantatam aquam phagedaenicam esse cognouit.

Mercurium sublimatum corrosuum aqua calcis decomponi , ex chymicis notum est : maior enim terrae alcalinae calcis cum acido salis mercurii sublimati corrosiui , quam cum mercurio intercedit adfinitas ; licet decompositio haec tam exacte nunquam euenit , quin pauxillum quid mercurii sublimati corrosiui , quod decompositioni minus pateat , adhucdum in aqua solutum , superesse deprehenderetur . Id quod & MAVER , pharmacopaeus Osnabrucensis *k)* & PAYEN , pharmacopoeus Castrensis Regius Gallicus , *l)* demonstratum quoque reliquere .

Ipse Illustr. HORNIUS per suam , quam cum resoluenti aqua prevaliana instituit analysin , in lagena , quae viginti quatuor uncias caperet , mercurii grana circiter duo reperisse se adfirmat .

Hic vero sublimatus non esse , sed qui in magna aquae vi solui pariter possit , mercurius praecipitatus ab illo creditur .

Quid-

k) Chymische Versuche zur nähern Erkannntniß des Kalchs . Im 15. Kap.

l) Dans le troisième volume des observations sur la physique , sur l'histoire naturelle , & sur les arts de M. l' Abbé ROSIER , mois de Fevrier année 1774 .

Quidquid sit; resoluentis aquae Prevalianaæ virtus in alia re, praeterquam exigua soluti in eadem mercurii, terrestrisue, quod ex acidi faliis connubio cum alcalina terra consurgebat, faliis quantitate sita esse haud potest: quae binae vtpote solutiones aquam hanc subadstringentem reddunt.

Nec vero virtutem hanc adstringentem, nec singularem, sub multo maior etiam dosi dati, mercurii vim a contagio virus venerei praemunire posse, iam evicimus.

Proposita a Cl. CEZAN aqua resoluens, constat aqua destillata communi, in qua mercurius sublimatus corrosius solutus, cuique analitica aquae calcis de prima infusione pars, nec non herbarum vulnerariarum decoctum, quo magis arcana evadat, adfusa fuere.

Videatur in libri ab ipso editi pag. 227. N. VII. eiusdem formula, ex qua, vtrum sedimentum post admixtam aquam calcaream praeципitatum, a liquore separandum sit, anne relinquendum, non satis liquido perspicitur.

Quae quidem & momenti haud exigui res, & scitu necessaria fuisset. At posterius vt credam, istius silentio inducor. Atque hoc in casu aquam a Cl. CEZAN dilaudatain phagedenicae haud absimilem; contra resoluenti prevalianaæ aequalem; nullatenus vero prophylacticam



cticam habendam esse existimo , vt iam repetitis vicibus demonstratum iui.

Contractum profecto hocce iudicium , atque censuram brevem super resoluenti aqua **CEZANIANA** in medium protulisse , satis una , abundeque mihi cum Illustr. **HORNIO** fuisset , nisi ex ipso magnanimitate adeo tumidi auctoris libro , quod absque priuatis commodis aperuerit quidquam publico , nisi ex ipso , inquam , auctoris libro , quantum argumentis , quibus inuentum superstruebat suum , deceptus fuerit , intellectissim.

Adde quod Cl. **CEZAN** inuentum hocce suum non omni ex parte satisfacturum esse conjectaret. Id etsi quidem de illis solum hominibus , qui aut religione nimis anxia tangantur , aut sui commodi studiosiores sint , suspicaretur ; tamen & hic falso opinatum esse perspicimus : quum etiamnum alii sunt , qui neutri illorum generi accenserí mereantur.

Aquam hanc suam , refert Cl. **CEZAN** , nonnisi soluto mercurio sublimato corrosiuo permixtam aquam calcaream esse. Vniuerso autem orbi innotescere , misturam istam alcalinae indolis existere ; hinc acidum virus venereum eiusdem virtute profligari penitus debere ; tertium enim quoddam corpus salem scilicet enixum , ex intima vtriusque coniunctione oriri ; nec iam ullum Cait porro thesin suam demon-
stra-

stratus) dubio locum superesse, quin virus venereum acida indole praeditum esset; litem hanc per plures institutas a semet periclitationes decisam omnino fuisse.

Esto per me licet: at virus venereum acidum esse, nullus concedam. Auocent illum ab imbecilli hac opinione, D. D. BORDEVES, *m)* & FABRE, *n)* populares eius, doceantque, nulla habita rei huiusce ratione, per initum aquae, tanti ab ipso aestimatae, cum acido virus venereo concubitum, sal neutrum haud oriri; hinc fieri etiam minus posse, ut virus tali modo peruerteretur.

Qui primis tantum labris institutiones chymicas gustauere, norunt, quanta auditate ab alcalinis adtrahantur acida, adeo, ut haec ab aliis, quibuscum coniuncta fuere, corporibus seiungantur, atque ab illis ad se se abripiantur.

Enim vero contingit reipsa tale quid, si quando abstractum, in quo soluebatur mercurius sublimatus corrosiuus, cum aqua calcarea permisceamus.

Acidum enim salis mercurii sublimati corrosui nubit terrae calcareae libentius, quam mercurio; hinc calcaream, quam in aqua cal-

B

cis

m) Recherches sur les maladies chroniques. Imprimé a Paris 1775. chez Ruault.

n) Recherches sur la nature de l'home. Imprimé a Paris 1776. chez Delalain.



cis offendit, terram amplectens, dimittit mercurium. Causticum vero calcis mercurio maritatum, vna cum ipso ad fundum ruit; quia cum intermedio, quod ex coniunctione acidi salis cum terra calcarea surgebat, corpore adfinitatem habet nullam.

Vnde quiuis plane colligat, necesse est; nec ullus, credo, inficiabitur, resoluentem aquam Cezanianam alcalinam minime, sed potius phagedaenicam esse, quae a sedimento decantata (vt superius in aquae Preualianae analysi adnotauit Illustr. HORNIUS) non nisi terrestre ex connubio terrae calcareae cum acido salis progenitum sal, & pauxillum mercurii praecipitati in sece contineat.

Quodsi sedimentum (vt mihi de aqua Cezaniana persuasum est) quoque relinquatur, nec aqua decantetur; tunc idem grauitatis suae causa a concussione vasis mox fundum subsiden-do petit; atque adeo neque in effusione, neque adplicatione sui aequaliter diuidi potest.

At demus, id etiam fieri posse: non ideo tamen sequitur, liquorem istum alcalinum haberri debere, licet talem & auctor ipse agnoscat, & toti orbi vt notissimum iactet; quandoquidem alio statim loco eundem pari iactantia rursus acidum designare, ac antiseptica quasi virtute, quam a contento acido salis repetit, donatum depraedicare non dubitauerit.

Patet

Patet igitur theoriam, qua aquae suae, adeo
prae reliquis aestimatae, effectus suffulciuit Clar.
CEZAN, fictam plane & erroneam esse.

Quid ! quod pruriginosa illa audacia, qua
illam ipsam exarauit, exaratam imprimi cura-
audacia, inquam, illa facit, vt tantum absit,
ne de solida obseruationum, experimentorum-
que veritate, quam is perinde toties, ac ma-
gnun suum, liberalemque animum adeo iactat,
dubitatem habeam, vt potius persuasum mi-
hi sit, ipsum fanaticis opinionibus captum de-
lirasse.

Cla. GARDANE eadem cum D.D. **PREVAL**
& **CEZAN** coluisse principia videtur. sub dulci-
ficati enim mercurii sublimati corrosiui titulo
formulam edidit, quae virorum modo denomi-
natorum formulis propemodum simillima repu-
tanda est.

Inaequalis siquidem habita aquae calcareae
vis discrimen interponit nullum ; quia quaevis
aqua calcarea, siue ea primae infusionis, tertiae-
uae sit ; seu diutius, breuiusue infusa fuerit ;
siue in calida, frigidaue infusione, super multa
paucae calce steterit, iisdem semper viribus
gaudet ; dummodo aut recens facta sit, aut ab
aëris accessu tam accurate munita, vt ne in su-
perficie sua cuticulam contrahere, neu sedimen-
tum ponere in fundo queat.



Etenim demonstrata res est, vltra certam terrae calcareae quantitatem ab aqua solui non posse, solutamque duntaxat tamdiu suspensam teneri, quamdiu ab aëris aditu defendatur.

Quare mercurii sublimati corrosiui in aqua ta, aut personata fuerit, aqua phagedaenica vsque permanet; modo hac in re probe aduertas velim, ab aquae calcareae bonae vncia una mercurii sublimati corrosiui grana tantum duo decomponi; adeoque, si plus mercurii sublimati corrosiui sumeres, hunc quidem solui, at decompositioni non patere; hinc etiam sequi, vt aqua, quanto plus mercurii sublimati corrosiui sumpferis, tanto acrior reddita, ab ista, in qua mercurius sublimatus corrosiuss ad debitam quantitatatem decompositus fuerit, follicite discriminanda sit.

Illustr. HORNIUS mixturae huius inuentionem Cla. FERNELIO, qui illam aquae diuinae nomine adpellare solebat, adscribit, ratus, FERNELIVM eandem cum D. D. PREVAL, CEZAN, & GARDANE mentem habuisse, hosque arcanum suum ab illo mutuum accepisse.

At istud, pace mea, vnde vnde velint, mutuati fuerint! equidem fieri plerumque solet, vt quae pro recens detectis vendantur pharmaca, non nisi antiqua sint, quae nunc demum recoquantur, atque iterum in lucem protrahantur.

Non-

Nonne radicem filicis maris vermium genus omne fugare , & ipse DIOSCORIDES , o) atque ex hoc GALENVS p) iam olim literis consignatum reliquit ? Nec tamen res ista obfuit , quo minus idem remedium , tanquam recens inuentum arcanum , magna pecuniarum vi bini simul reges q) nuperriime ad se coemerent , atque cum publico communicarent.

Praeter haecce peruulgata remedia prophylactica dantur & diuersa alia , quae a variis , ceu arcana commendarentur. Quorum , quae mihi innotuerunt , potissima pars terrestris , metallicue , paeprimis mercurialis vitrioli solutione aut linimento quodam constare deprehensa est.

Etenim , quum essent nonnulli , quos aut prudens rerum pensitatio , aut infelix experientia liquorum adstringentium noxas edoceret , in eam cogitationem inducti fuere , vt ingressu ro virus venereo ostia linimine quodam conglutinarent ; Quum sententiam , tanquam apud omnes peruagatam ac vulgarem & ipsi amplecterentur , venereum virus per inhalantes poros resorberi ; hos autem ope superinducti vnu-

B 3

guinis

o) Lib. IV. Cap. CLXXXVI.

p) De simplic. rer. facultate Lib. VIII. N^o 39.
CHARTER. Tom. XIII. p. 223.

q) Galliarum & Sueciae.

guinis oppilari ; sicque resorptionem necessario praecaueri.

Ne vero penitus hac in re frustrarentur , linimento suo etiamnum admiscuerunt mercurium , vt eiusmodi fmagmatis opera cum resorptio impediretur , tum praesertim , vt virus a mercurio , adiuratissimo illius hoste , p[re]ae foribus obtruncaretur.

Verum enim uero opinionibus tantum ingeniose excogitatis innixas illorum periclitaciones ab experientia peruersas fuisse comperimus : si quidem ab ingenti muci sub coitu adfluentis copia , quicum permixtum fuit linimen , vnguis nosa perinde lorica , ac arma mercurialia procluebantur. Obicem itaque , quo reprimeretur etiam , & reiiceretur virus venereum , offendit nullum.

Restaret adhuc , vt quibusnam admixtis prophylacticum , quod ex Italicis nouellis r) mihi innotuit , FELICIS MORANDI , pharmacopaei Genuensis remedium compositum sit , indagandum susciperem.

Diuenditur ab ipso dupli forma : *Altera* balsamum , seu linimentum , quo inungantur balani ; viscidulam & lactis instar candescentem aquam seu spissam nonnihil emulsionem , qua eluantur , iniicianturue cunni , fistit *altera*.

Anne

Anne vitriolo Saturni id conflatum esse licet arguere ? saltem , quae ipsi cum Gulardico balsamo , ac liquore intercedit analogia , eiusmodi quid suspicari jubet . Analysis chymica rem facile clariori in luce locaret .

Quod administratio folliculorum s) (Anglice *Condons* dicunt) e tenui & inconsutili pellicula in formam vaginae confictorum , a vulgaruagae Veneris discrimine immunes reddere nequaquam possit , fusis argumentis disertissimus euicit ASTRVC .

Nec mihi met ipsi defuit opportunitas , rationes , quas adfert ille , non semel comprobatas videndi ; quum eius generis loricis induiti equites , in suis nullo folliculo praeuinctis inguinibus , pro Gonnorrhoeis , ac pudendagrīs vlcusculosis , bubones venereoſ reportaffent .

Hactenus intellectum quidem est , quemadmodum corpus humanum praemuniri debeat , adeo , vtne luis venereae contagium contraherere sibi possit ; sed experientia pariter quoque commonstratum , omnia hunc eundem in finem commendata auxilia , mortalibus emolumenti parum attulisse .

Nunc quaedam , quae ad primos contractae iam venereae contagionis morbos , illico e fede sua reuellendos extirpandosque collaudantur , remedia recensemus ; atque hinc consilia ,



quae D. D. PRESSAVIN & WAREN , non sine magna animi sui moderatione, Veneris nepotulis impertiti fuere, hoc loco examinanda esse ducimus.

Prior enim, verba, inquit, in commendanda remedii sui, tanquam indubitata veritate, se probe moderaturum. Existimare sese, certitudinem eius demonstrari neutiquam posse. Hinc suae effectum medelae ex eius duntaxat virtute, sensiles partes irritatura, explicans, partibus, refert, irritatis, copiosiorem humoris adfluxum cieri, atque adhaerens iisdem virus sic excuti, proluique.

Has vires aquae suae vegeto mercuriali attribuere conatur D. PRESSAVIN, si quando ab impuro statim concubitu eius ope eluantur, iniicianturue genitalia.

Qua quidem in re apud homines, sensili admodum neruorum systemate praeditos, fieri posse commemorat, vt vehemens dolor, sed noxiā relicturus nullam excitetur.

Demum, postquam prudentissimi consilii sui rationem, certis experimentis innixam, asseruit, ea quae primo in medium proferebat, repetit: Ab animo nempe suo nihilominus tamen, quam maxime abesse, vt remedium hōce suum, tanquam certum & indubitatum, venditandum esse arbitretur.

Liquor vegeto mercurialis, cuius auctorem
se

se perhibet D. PRESSAVIN, in libri ab ipso editi pap. 371. descriptus habetur.

Constat is mercurio, qui in spiritu nitri primum soluitur; dein ope alcali vegetabilis fixi praecipitatur; tum praecipitatus in aceto iterum soluitur; solutus adhibito alcali vegetabili fixo rursus praecipitatur; post praecipitatus in aqua, & solutione tartarea coquitur, dum tandem a decocto limpidus decantetur liquor, atque in usus afferuetur.

Solutionis huius vncia vna (si analysi Illustr. HORNII credere fas est) continet mercurii granum unum.

Erat praeter D. PRESSAVINVM profecto nullus, qui virga censoria ab Illustr. DE HORN adeo perstringeretur; quandoquidem, credo, remedium ille suum plus ad usus internos, quam mercurium sublimatum corrosuum extollit.

Id quod strenuus eiusdem defensor Illustr. HORNIVS perferre plane non potest: quare praefatuore, & partium studio spumans, obiectiones in eum suas nimis quoque exaggerat, simulque risui semet exponit, dum a D. PRESSAVIN inuenti ius, & gloriam abiudicat, annis abhinc ducentis, clamans, iam a Clar. PENNOT t); mercurius in aceto solutus fuit; idem

t) In Theatro Chemicoo Argentineae 1613. impreso Lib. I. pag. 654. sub articulo BERNARD. PENNOT.



a KEISERO quoque tantatum u); nec non lexicon chymicum x) conficiendi eius rationem subministrat: imo chymicorum plures alias mercurii in acido tartareo soluendi dudum occupauerat labor.

At enim ex omnibus hisce allatis quid est, quod de rationis, qua peragatur solutio, ab ipso D. PRESSAVIN inuentae probabilitate deroget? nonne, quod magna saepe ingenia conspirent, pluribus exemplis iam confirmatum nouimus?

Accedit, qeod aetas libri, ex quo de solutione mercurii, per Clar. PENNOT in aceto tentata, certior factus Illustr. HORNIUS, annum centesimum sexagesimum secundum necdum excefferit. Itaque nisi D. PENNOT iam ante triginta & octo annos, quam liber hic editus fuit, solutionis modum inuenerit; (id quod indicare tamen Illustr. HORNIUS, ac demonstrare debuisset) fateri profecto cogimur, accedentem triginta & octo annorum cumulum, vt rotundus obtineatur numerus, nimium esse censendum.

Quid? quod licet D. KEISERVS, se in ace-
to mercurium soluere, ipsem non inficiatus
sit; tamen, quamdiu res haec in sinu eius re-
condi-

u) Recueil des observations de medecine, chirurgie, pharmacie des hospitaux militaires, publié par Ordre du Gouvernement 1772. Tom. II.

x) Dictionnaire Chimique Tom. II. Art. mercure.

condita fuit , atque arcana , nullus erat , qui illum imitaretur. Nunc vero , quum peruagata , atque vulgaris sit , quumque plures apud illam fucos inutiles , atque superuacaneos fieri liquido perspicitur , multo adhuc minus credendum est , fore , vt hanc quispiam consecetur.

Praeterea formulam in lexico chymico propositam , cum illa D. PENNOTI eandem esse , ipsius fatetur.

Is nempe , vt KEISERV^S in aceto solum mercurium soluere erat solitus. Quam quidem solutionem , ad soluendum in liquore tartareo mercurium , tanquam praeparationem , dunatxat adhibuit PRESSAVINVS.

At demus etiam , huic vias ad inuentionem praemonstratas ab illis fuisse: non tamen idcirco sequitur , D. PRESSAVINVM ab ipsis , tanquam magistris , inuenti rationēm haufisse.

Quod autem chymicorum plures in parando tartaro mercuriali operam dudum suam collocauerint , quid inde contra inventionis , tartari mercurialis a D. PRESSAVIN parati , ius concludes ? etenim in elaborando illo diu quoque desudasse se , ipse haud inficias it.

Forsitan in anonymorum , planeque incognitorum , quorum Illustr. DE HORN meminerat , numerum referendus venit ; atque adeo illorum forte vnicus est , qui conficiendi tartari mercurialis modum eruerat.

Quod si



Quodsi D. PRESSAVIN faciliorem longe , quo pharmacopaeus MAYER vtebatur, modum cognitum habuisset, tam operosus certe in suo non fuisset, argumento satis manifesto , illum ipsum inuentorem huius exstisse ; dum contra Celeb. medicus CONSTANTIN hac in re facem D. MAYERO y) praeferret.

De quo Illustr. HORNIUS , credo , nil resciit ; secus enim futurum certe fuisset , vt & hanc tartari mercurialis producendi rationem D. PRESSAVINO obiectaret.

Verum enim uero , siue suum ille modum proprio marte didicerit ; siue aliorum ex scriptis hauserit ; seu quidcunque sit ; liquor Pressauinianus in prophylacticam luis venereae minime, maxime vero omnium, interne dandorum, in curam eiusdem curatiuum commendari meretur.

Id tantum modo dolendum , quod nullibi magnus quidam artis dictator tartari huius mercurialis & auctor & laudator exstiterit.

Evidem dubium mihi non est, quin ubiuis terrarum (de praeuia quadam periclitatione non dicam) tanquam praestantissimum luis venereae curatiuum pharmacon & habitum, & receptum fuisset.

Quae fors quum illi non obtigerit, plura ad huicdum tentamina subiturum existimandum est;
licet

y) Vide ejus Alchymische Briefe.

licet spes haud exigua adfulgeat, fore vt tandem aliquando triumphet; quia detrimenti tantum non adfert, quantum a mercurio sublimato corrosiuo importari quotidie nouimus.

Remedium autem a D. PRESSAVINO dilau-
tum practicum luis haberi non posse,
ex viribus, queis gaudet, explicare licet. Ad-
stringunt enim potius, quam irritant; quamvis
irritantes eas esse, adserat PRESSAVINVS.

Iam vero per adstringentia resorptionem vi-
rus nullo modo praecaueri, in demonstratis ha-
betur.

Verum esto etiam, eiusdem vires magis
irritantes deprehendi, atque id circo opera ea-
rum effici debere, vt maior humorum adcubi-
tus adliciatur, quid inde?

Humoribus, reponis, copiosius per stimu-
lantia adlectis virus venereum remiscetur, re-
mixtum diluitur, dilutum denique vna cum illis
eliminatur.

At enim succi illi, cumulatius adfluentes
tenuitate quadam sunt praediti, atque vnguini,
quo obuolutum haeret virus, aegre miscentur;
hinc, etiamsi virus venerei prolueretur quidpi-
am, tamen futurum est, vt potissima istius
pars semper adhuc relinquatur: aut ponam eti-
am, miminam solummodo portionem, suo im-
pactam nido relinqu, an minus ideo locum
contagio superesse negabis?

Absit



Absit vero a me, vt institutas a D. PRESSAVINO periclitationes, obseruationesque aut plane reiiciam, aut negem; earum enim nonnullis secundum respondere euentum potuisse, haud aegre intelligimus; nonnullis autem minus prosperum respondisse, ipse ~~etiam~~ animo animi candore profatur.

Quod si D. PRESSAVINVS per aquam vegeto mercurialem propositum suum minus adsequeretur, mentem tamen & longe conuenientissimam, & in prophylaxin a contagio luis venereae prae reliquis omnibus vnicice duntaxat impendendam habuerat: vt nempe vnguini remixtum virus prolueretur, atque vna cum nido suo foras depelleretur.

Profecto, si eadem remedii sui applicandi mens Celeb. WARENIO fuisset, a meta non procul aberrasset.

Medicus hic Britannus pharmacon suum primo a circulatoribus anglis, qui idem in arcanis habitum, magni aestimauerant, ad se coemit; tum illud, nonnisi lixiuum ex alcali caustico esse, per analysin chymicam detexit; postea simile ipse sibi parauit.

Quodsi is libri z) a Clar. FORDICE, populari suo, in lucem editi notitiam quamdam habuif-

z) Grundsäze der ausübenden Arzneygelahrtheit nach der zweiten und verbesserten Ausgabe aus dem

buisset, illud ipsum in capite de lue venerea sub N. 48 descriptum reperisset.

Iam vero experimentis hoc super remedio satis, superque institutis, effectus ab eodem certos exeri, Celeb. WAREN toties expertus est.

Is nempe candelulam ceream, ichore gonorrhoeico illinitam, virorum quorumdam vrethrīs intrudi, atque hos talimodo certo certius infici curauit; siue tunc consueta symptomata communicatam contagionem indicarent, eosdem lixivii sui in vrethras inieicti ope ab infectione rursus vindicauit.

Nonne igitur ii ipsi erant, qui indubitatos medicaminis Wareniani effectus absque probro, at non sine periculo comprobatum irent? Quamquam illustr. HORNIVS, qui in optatis quidem habet, ut eiusmodi hominum vnus praefato foret, rem istam chimaeram esse arbitretur, huic, inquiens, si ullum talem mortalium terrarum uspiam reperire est, & nostram omnium gratitudinem, & venerationem merito deberi.

Atqui ego eius genereis non unum solum, sed plures etiam humanitatis amantissimos mortales Illustr. HORNIO coram adducere possem, a quibus praecogniti sui iudicij conuinceretur omnino.

Verum



Verum illi, neque gloriae audi, nec gratam beneficiorum recordationem adfectantes manere *inglorii*, *dummodo utiles*, satius existimant.

Haec itaque causa est; haec illis mens, cur latere velint; nec propterea, quod ingenuos viros eiusmodi experimenta minus deceant, in hominum ignoratione versantur, aut nomen, famamque suam in obscuro esse cupiunt, quemadmodum pagina 15 in medium profert, sibi met ipsi contradicens *Illustr. HORNIUS*.

Damus quidem nosmetipsi, hoc verum prophylacticum gonnorrhoeae remedium esse primarii plerumque morbi luis venereae: Sin autem idem & gonnorrhoeae curatium esse, referat Celeb. *WARENIUS*, metuo, ne virtutibus eius, nimium quantum elatis, turpis criminum nota inuratur.

Hoc etiam adhibito, & recentem, & nulla inflammatione comitamat, sanari gonnorrhœam posse, certum est; nec adeo ab *Illustr. HORNIO* in dubium vocatur. Ast tantum abest, vt vel inflamatae, vel adeo exulceratae, vel gonnorrhœae inueteratae tollantur, vt inde potius, imo certo certius exasperentur.

Sed prudentes medicos inter quotusquisque erit, qui in eiusmodi casibus hocce vatur remedio? Cuinam, vel somnianti, in men-

tem

tem ventura est cogitatio , idem in casu , vbi
prostata exesa est , iniiciendi , licet Illustr. DE
HORN , spectrum suum quam terrifice adumbra-
turus , hunc eundem proponat?

At scire ad modum cuperem , quotnam ge-
neris huius gonnorrhoeas ipsem etiam iamiam vide-
rit. Videtur is profecto mihi , hac in re im-
mortalis BOERHAAVII sensa persequi , atque hu-
ius verba imitando effingere.

Quare etiam , & veram gonnorrhoeae se-
dem , & causam huius proximam eidem nec-
dum cognitam esse , facile inducor , vt credam.

Huc accedit , quod explicandam , qua re-
medium suum agat , rationem quoque Celeb.
WAREN hallucinaretur , ratus , partibus , quas
contingat , solidis robur quoddam ab illius ad-
plicatione conciliari , sicque copiosiorem multo,
quam naturaliter fieri soleat , humorum secre-
tionem cieri ; hinc necesse sequi , vt ita & spis-
titudo muci adtenuetur , & vna coniunctum
cum illo virus proluatur.

Is etiam plurium anglicorum medicorum *aa)*
praxi , qui ad sanandam certam quandam an-
ginae , ab adcumulato , & condensato muco ori-
undae , speciem lixiuum alcalinum usurpare con-
fueuerunt , opinionem confirmare suam adni-
titur.

C

At-

aa) Praecipue Celebr. Pringlés.



Atque haec, credo', theoria illum incitauit, vt remedium suum vel in inueteratis gonorrhoeis eo confidentius commendaret, quo firmitius ipsi persuasum erat, fore, vt illae, vtpote, quae a debilitate partium solidarum orirentur, roboratis hisce euaneſcere penitus deberent.

Verum alcalina, praecipue cauſtica, vtut dilutissima, stimulantem vim nunquam non exerunt: atqui ad stimulandum fane diuerſum, aliudque virium genus requiritur, quam ad roborandum. Nec naturales etiam ſecretiones, excretionesque per roborantia accelerantur; probe vero per stimulantia.

Alcalinum itaque lixiuum in solidis partibus, tanquam remedium stimulans, effectus fuos edere, earumque, si & fecernendo, & excernendo destinatae fint, adiuuare munia poterit: aſt ſecretiones, atque excretiones, ſic adauictae, incrassato illo, in quo nidulabatur virus, muco adtenuando, diluendoque longe adhucdum impares futurae eſſent, alcalino niſi lixiuio singularis quaedam, in vnguen animale agens, in eſſet vis, quae idem incidendo penitus, & nidum virus venerei euerrat, & proluendo adprime adcomodatum faciat.

Attamen remedii cuiusdam virtutibus nil officit, etiamsi eius agendi ratio minus cognita habeatur; modo in comperto ſit, quod determina-

minatis in casibus certos exhibeat, atque indubitatos effectus.

Id autem ipsum gonnorrhoeis incipientibus pariter, atque anginis mucosis certo mederi auxilio, nec ipse negat Illustr. HORNIVS.

Quum ergo pro Iuis duntaxat prophylactico, quale cognitum, vel idem Illustris vir iudicauit, suspiciatur, quis erit, qui ab illo cum in inueteratis gonnorrhoeis, tum praesertim in anginis, phlegmasia quadam stipatis, plane abstinentendum esse non censeat?

Verum enim vero certum, quod a contagio virus venerei mortales praemuniret, remedium dari nequaquam posse, commonstraturus Illustr. HORNIVS (sic enim sonant prima tractatus ab ipso emmissi verba) atque idcirco argumenta sua typis commissurus, verba vnde vnde conquirere, necesse habebat.

Tribus itaque cum dimidia plagulis compilatis; nec non tabulis analyticis, syntheticisque consignatis, partae auctoritatis fama elatus, pro certo existimauerat, & noua fese in orbem prodigia inuexisse, & nouos adeo cultores, sectatoresque, quos affectare videtur unice, sibimet comparasse.

Pari modo elatus ASTRUC dictatoris adinstar, vt eius erat mos, chartis mandare non



dubitauit: *bb*) “ Alexiteria , quae a gonnor-
,, rhoea , ceterisque morbis venereis incolumes
,, praestent sine detrimento , nulla dari certa ,
,, tuta , efficacia: si qua darentur , morbo ipso
,, vel faltem incerti morbi periculo peiora esse;
,, neque adeo ab vlo , qui consultor , proui-
,, dusque sit vtilitatum , & opportunitatum sua-
,, rum , vnquam adhibenda. ,,

Ipsam connexi huius rationem ex thesibus,
vni , quam adsumit indubiam , superstructis de-
ducit , “ indubium est , inquiens , gonnorrhoe-
,, am , ceterosque omnes affectus venereo
,, praecaueri non posse , nisi remediis , quibus
,, curantur : neque enim ingressurum venenum
,, retundi potest remediis aliis , quam quibus
,, constat , idem iam ingressum , ac tumultus
,, agens in sanguine debellari , domari , de-
,, strui. , , *cc*)

Hanc vero primariam eius thesin falsam es-
se ; atque ideo ceteras omnes inde deductas
basi carere , tum demum liquido elucescet ,
quando Doctissimus KERN , collega meus in pri-
mis colendus , in dissertatione sua *de infallibili
remedio prophylactico Siphyleos* , evictum dederit ,
quod gonnorrhoeae , aliaque symptomata ve-
nerea per adhibitum alcali causticum praeuerti-
tuto possint ; licet idem malis siphyliticis in cor-
pore

bb) ASTRVC. lib. III. cap. II. §. II. Nro 6.

cc) idem ibidem Nro 1.

pore iamiam praesentibns nullam plane mede-
lam allaturum esse dicendum fit. dd)

Hoc inuentum quidem cogitatione haud prospexerat Celeb. ASTRUC: at enim qua ratio-
ne, quaeso, inducti ii, qui scripta posteritati
sua consecrant, eo temeritatis progredi possunt,
vt tanti inueniendi remedii spem omnem po-
steris suis praecidant omnino?

Profecto Illustr. HORNIUS pariter, atque
Celeb. ASTRUC, antistites hac in materie lon-
ge omnium spectatissimi, quorum scripta alii ceu
oracula, alii adeo ceu Thoran, & Alcoran su-
spiciunt, bini illi, inquam, maximi apud ple-
rosque ponderis viri, eiusmodi inuentionem
plane impossibilem esse ducebant atque obco-
cati, qui ab illorum partibus steterant cultores,
de possibilitate vel cogitare tantum, nefas pu-
tabant.

His enim multo commodius erat, verbo vi-
rorum auctoritate grauium credulitatem suam

C 3 qua-

dd) Non me latet, Celeb. PEYRILHE nuper alca-
li volatile ad sanandam luem commendasse, &
publici iuris fecisse in libro, cui titulus: Reme-
de nouveau contre les maledies vénériennes ti-
ré du regne animal ou essai sur la vertu antive-
nérienne des alcalis volatils imprimé a Paris
1774. Chez Didot le Jeune. Verum res haec
sufficientibus argumentis demonstrata necdum
est.



quadam super re addicere, idque dignitate horum in medium prolata propugnare, quam propria quidquam mente excogitare, cogitatum examinare, examinatumque vel comprobare, vel reiicere.

Vtinam tandem aliquando fanaticus hypotheses quaslibet effingendi tumultus ex artis fabuberrimae finibus proscriberetur!

Equidem Nobilissimae huic scientiae & praeconceptae opiniones, & seruitutis iugum pestem exitiosam late minitari videntur: illae enim defides, commentitiis, & futilibus tantum deditos; hoc humiles creat adulatores; ambos miseros, generique humano noxios potius, quam vtiles medicos.

Sola & sapienter cogitandi, & per hanc ipsam mentem agendi libertas est, quae artem hanc, adeo vexatam, ad sumnum perfectonis culmen sit euecta.

*Sed gemma haec lucens terras inuisa reliquit;
Et siquem vano illius splendore tumentem,
Magnaque iactantem terrarum videris usquam,
Nomen inane, nihil, fucosque hunc vendere credas;
Ergo vel hic verum manet, aeternumque manebit:
Perfectum sub sole nihil, lunaque subesse. ee)*




THESES

ee) Poët. anonym. in Satyr. III. sub finem.



THESES MEDICAE.



I.

Medicina est scientia ac prudens directio virium naturae animalis ad vitae & sanitatis a morbis & morte tutelam.

II.

Medicus autem naturae spectator, imitator, director.

III.

Nullo iure, erronea, falsa, incerta imputantur medicinae, quasi mere conjecturalis foret. Non aliis, nec firmioribus gaudet quaevis naturae scientia fundamentis.

IV.

Anatomes animatae nomine physiogiam bene insigniuit magnus HALLERVUS, quae nisi principiis anatomicis maximam partem superstructa fuerit, praefert luridum cadaueris simulacrum.

V.

Causa alternae respirationis humano in corpore repeti ab aëre, pulmones inter & pleuram hospitante, nequaquam potest.

VI.

Causa vero primae respirationis in homine nato,
irruens in asperam arteriam aër esse videtur.

VII.

Motus cordis non a neruis vnicē , sed potius a
vi quadam cordi intrinseca , seu irritabilitate expli-
candus.

VIII.

Motus arteriarum coronariarum cordis sunt cum
motibus aliarum arteriarum synchroni ; neque venae
coronariae cordis inaniuntur, dnm reliquae corporis
venae implentur.

IX.

Malpighianos sic dictos folliculos in hepate nul-
los esse , experimentis conuincimur.

X.

Bilis in vltimis venae portarum ramulis secreta ,
nonnisi per ductum cysticum infunditur cystidi fellae.

XI.

Licet acrimoniam inter omnes inquilinos corpo-
ris humani humores maximam habeat bilis ; haec ta-
men propter vires suas stimulantes primaria motus
intestinorum causa censenda non est.

XII.

Ars chyrurgica vera naturae imitatrix est : vt
ergo & medicina hocce titulo gloriari omni ex parte
possit , haec cum illa maritata sit , necesse foret,

XIII.

XIII.

Carunculae, in vrethra praeternaliter enatae,
phantasmata sunt.

XIV.

Igitur cereolarum, corrodentibus medicamentis
delibutarum ope, illas extirpare velle, delirium est:
imo aegro perniciem non raro adtulit.

XV.

Ischuria vix aliud morborum genus plures habet
species; vehementiora symptomata.

XVI.

Non omnis ad haecce symptomata leuanda *alga-*
li adapplicationem requirit: solius vesicalis ischuriae
species; atque inter has quidem haud singulae.

XVII.

“ In retentione vrinae syringa minus dextre,
,, & ab imperitis in vesicam immissa, grauissima in-
,, duxit symptomata, inflammationem, conuulsio-
,, nem, & alia. Suppurationem ab eius errore in
,, perinaeo obortam aliquoties vidi, quae in gangrae-
,, nam tandem degenerauit, nulla arte emendabi-
,, lem. „ Ita iam ante saeculum Illuſtr. HENRICVS
A. MOINICHEN.

XVIII.

Ars obstetricia integrae medicinae pars est; ge-
neri humano maxime necessaria; vtilissima; funda-
mentis mechanicis superstructa, certissima.

XIX.

Eadem ferramentis plurimis , tamen non omnibus ; omnino vero vecete , a belgis & pridem & nuper thrafonice dilaudato :

XX.

Nullatenus autem forcipe , vera Germanorum , neutquam Anglorum inuentione , carere potest.

XXI.

Forceps haec , a D. SMELIE emendata , illi , a D. LEVRETO correctae , plurimis in occasionibus praferenda est.

XXII.

Funiculus umbilicalis vt deligetur , necessitas ab soluta non est.

XXIII.

Neque emulgere abscissum ante deligationem huius prodest quidpiam.

XXIV.

Abortus primis a conceptione momentis procuratus aequa graue scelus , atque yltimis grauiditatis diebus.

XXV.

Volutatio ciborum infantum , in ore nutricis edentulo , foetido , saliuia acriori imbuto , prorsus est prohibenda. Calidusne cibus sit , an bene compositus , aliis modis explorari potest. Nec opus est vt singula cochlearia putidum hoc subeant examen. Morborum

borum nonnullorum infantilium certa ex hoc capite ,
& sufficiens deducenda est causa.

XXVI.

Inueterato quidem , sed pessimo more infantes
recens nati fasciis strictis torquentur. Prauum est
commune eorum ex pulce farinaceo alimentum. Per-
uersa methodus clamantibus semper vbera praebere
illico , aut faccharum ad suetionem dare. Plures in-
de , iique graues infantum morbi originem suam du-
cunt. Convenit pro alimento lac maternum , aut
puls ex pane bis cocto cum lacte ; profunt balnea
frigidula , quae corpus firmum reddunt , mundum-
que conseruant ; mire conductit omnimoda vestium
laxitas & leuitas cum mundicie coniuncta , vt cor-
pusculum debitum capere queat , rectumque incre-
mentum.

XXVII.

Vitia & corporis & animi pleraque in infantibus
ferme ab vna, eademque causa oriri solent : hi enim
ante aetatem euadant viri , volunt parentes.

XXVIII.

Vestes pluribus Europae nationibus consuetae ,
quemadmodum alias adultos stringunt , hisque mi-
nus salubres deprehenduntur , ita infantibus praepri-
mis sunt noxiae.

XXIX.

Turcarum , Polonorumue vestimenta reliquis om-
nibus anteponenda esse , atque cum fructu sanitatis
insigni , vsu inter nos communi recipienda , suadet
ratio & bona diaetetica.

XXX.

XXX.

Cum subita vestium immutatio, tum praesertim vestium aestiuialium sic nominatarum gestatio multo plures mortalium ad tartara demisit, quam puluis pyrnis & tot commissa proelia.

XXXI.

Ingens profecto saluti hominum accederet utilitas, si quando vino haud aliter, atque medicamentis uterentur.

XXXII.

Arcanum duplicatum & tartarum vitriolatum esse quid vnum ac idem, hinc eosdem in corpus humandum edere effectus, nulli dubitamus.

XXXIII.

Ergo haecce, tanquam duo a se inuicem distincta corpora in eadem praescribere formula, absurdissimum omnino est.

XXXIV.

Veneno omni repurgatus, fixusque mercurius, qui ab homine in sacciperione duntaxat gestatus, ex eodem miasma venenatum quodcunque in sese trahat; qui spasmis, arrthrititi, Rheumatismo, atque eiusmodi malis, ab humorum acrimonia corrosiva exortis medeatur; qui virus venereum ex infecta iamiam persona imbibat; quique demum in grassantibus epidemiis, aut morbis contagiosis quibuscunque praestantissimum constituat praeseruatiuum remedium, talis, inquam, mercurius haud ita pridem a famoso circulatorie quodam hic loci publice iactatus & venditus,

spe-

speciosa ridiculaque chimaera est; ytinam mortalibus
aeque innoxia!

XXXV.

Qui in annulo sic dicto spastico romano, ab agypta eodem ad spasticas muscularum contractiones soluendas, defluxionesque omnis generis cohibendas, atque ad alia, nescio quae mirifice depraedicato fiduciam qualemcumque ponit, is, hercle! ab intellectu bubulo haud procul abesse, mihi videtur.

XXXVI.

Medicamenta sic dicta antimelancholica pharmocopoeum exhilarant potius, subleuantque, quam aegrum.

XXXVII.

Effectus electricitatis finistros quam plurimos, imo deleterios contigisse, atque ideo eandem raro aut nunquam adhibendam esse, innumera docent obseruata.

XXXVIII.

Pulueris radicis ipecacuanhae vim emeticam specificam omnes clamant materie medicae scriptores: sed super quantitate doseos exhibendae lis hucusque fuit inter eos non exigua, nec hodiecum decisa; licet facillime determinare potuissent, modo, quid sub praeparatione eiusdem in officinis pharmaceuticis contingat, ratione resinae, quam vehit, & quibusnam in partibus vehit, accuratius attendissent.

XXXIX.

XXXIX.

Mercurius in siphylide curanda specificus : nec
vllum aliud remedium hucusque cognitum depellen-
do huic malo par fuit.

XL.

Inunctionem mercurialem , in curam siphylidis
radicalem , cautelis debitiss institutam , reliquis omni-
bus esse praehabendam , plura loquuntur.

XLI.


Mercurium , nimia copia in corpore haerentem ,
ope sulphuris obtundi posse , vix credibile est.


XLII.

Quaelibet febris certum tempus ad sui despuma-
tionem requirit.

F I N I S.







5

